



XLVII

1616,1

A2

DISPUTATIO IURIDICA  
DE  
TESTAMENTIS:

*Quam*

DIVINA GRATIA ANNUENTE,

In Illustri Heidelbergensi Aca-  
demia,

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi ac Consultissimi Viri,*

Dn. DIONYSII GOTHOFREDI  
I.V.D. PROFESSORIS CELEBERRI-  
MI, & p. t. Facultatis Iuridicæ DECANI  
spectatissimi, præceptoris sui per-  
petuâ observantiâ co-  
lendi,

*Publica censuræ in novo ICtorum. auditorio  
submittit,*

M. BETHMANNUS HERDESIANUS  
Bernburg-Anhalt.

*die 23 Martii,*

HEIDELBERGÆ,  
Typis DAVIDIS ALBINI.

ANNO CLO IO C XVI.

Humperg. 23 doct 9. Viro Dn. Pego à Jemn  
Galo Seldt. Rectori, episcopio suo quondam  
victoriam

NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS AC CON-  
SVLTISSIMIS VIRIS,

D. GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO  
I. V. D. & Serenissimi Electoris Palatini Consiliario  
intimo, Mecænati suo pl. honorando.

Dno. DANIELI NEBELIO J. U. D.  
in celeberrima Nicrina Academia Professori , & p. t.  
Rectori Magnifico , Domino Præceptori & Patrono  
suo æviternum colendo .

Dn. CYRIACO HERDESIANO , J. U. D.  
eiusdem apud Servest. Professori & Illustriss. Prin-  
cip. Anhalt. &c. Consiliario, fratri suo germano.


VT ET  
PRAESTANTISSIMO FAMILIÆ  
*splendore, varioq; rerum & virtutum  
usu viro,*

Dno. IOHANNI CASIMIRO DENAISIO, fauto-  
ri suo colendo.

*Hæc in debite obseruantia & grati-  
tudinis signum*

D. D. D.

BETH. HERD. Auth. & R.



## THESSIS I.

**C**UM RES non tantum ex contractibus , aut reliquis viventium actionibus , (a) sed etiam ex ultimis morientium voluntatibus ac successionibus petantur : operæ pretium me factum censeo , si de cā successionis specie , quæ testamento defertur , quod nihil aliud ( si derivationem & allusionem vocabuli (b) species ) quam testatio mentis , (c) has ad disputandum theses proposuero .

(a) *Vvesenb. in paratit. ff. de test. n. 1.* (b) *Bart. in l. 1. ff. de test. Alciat. in l. tabern. ff. de V. S. Vigl. in Inst. de ord. test. n. 3. Mynf. ib. n. 1.* (c) *Inst. in princ. de ord. test.*

### I I.

Hæc enim testatio mentis ultima ex ipso jure gentium apud omnes gentes peræquè custodita fuit : fecitque ut morientium voluntates firmæ sint habendæ. Nec tamen eare formam & solennitatem juri civili denego: Disparates enim testandi formas ( quæ à nullo alio nisi jure civili proveniunt ) passim fuisse constat. *Bart. & Ias. in l. interd. ff. de condic. indeb. Ias. l. ex hoc jure n. 46. & 47. ff. de l. & I. Vigl. in §. sed prædict. Inst. de test. Vvesenb. in parat. d. loc. n. 8. Cujac. ad l. 1. ff. de test.*

A 2

## I I I.

Ideoque jus testamenti faciendi non privatorum voluntate, sed jure publico & legibus alicui tribuitur, ut eam ob causam juris publici (a) esse dicatur: sic ut juxta leges ac jus commune (b) interpretationem recipiat, licet utilitas testamenti plerumque ad res & personas privatas referatur (c).

(a) *l. 3. ff. de test. l. 1. ad l. Falcid.* (b) *l. quanquam C. de test. mil. Decius in l. jus nost. n. 7. ff. de R. I.* (c) *Cujac. add. l. 3. ff. de test.*

## I V.

Ex his sequitur, testamento minus solemniter condito naturalem ex eo nasci obligationem: Nam si solemnitates civiles intervenerint, utramq; tam naturalem quam civilem oriri obligationem dicendum est. *Bart. in l. 1. ff. de cond. indeb. & l. cum quis C. de jur. & fact. ignorant. Ias in d. l. interdum ff de cond. indeb. Fachin. 4. controv. lib. c. 5.*

## V.

Est itaque, ut à natura & definitione ordiamur: Testamentum justa voluntatis nostræ sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit *l. 1. ff. de test.*

## V I.

Idque paganicum vel militare.

## V II.

Paganicum vel solemne vel minus solemne.

## V III.

Solemne vel in scriptis vel nuncupativum.

## I X.

Solemne fuerit, si formam civilem perfectamque haberit *l. 1. ff. de iniust. rupt.*

## X.

In hoc animadvertere debemus, an is qui testamentum

tum condidit, testamenti factionem habuerit: tum vero  
requirendum erit, an secundum juris dispositionem te-  
status fuerit. l. 4 ff. de test.

### X I.

Testamenti factionem non tantum is habere dicitur,  
qui testari potest, sed etiam is, qui ex alterius testamento  
capere, & sibi vel aliis acquirere potest. l. 16 ff. de test. l.  
ult. ff. pro hered. l. 49. & seqq. de hered. inst.

### X II.

Testari potest tam masculus quam foemina, dummo-  
do sit pubes & sui juris, nec de jure prohibetur. l. qua &  
tate ff. de test. & l. in test. C. eod.

### X III.

Prohibentur i. Qui alieno juri subjecti sunt, nec libe-  
ram habent bonorum administrationem: uti i. Filius-  
fam. (a) qui nec cum consensu patris testari potest (b).

(a) Inst. quib. permis. non est test. fac. §. 1. l. qui in potest.

6. l. si filius fam. 16. ff. de test. l. pen. C. qui test. fac. poss.

(b) licet mortis causa permittente patre donare mi-  
nimè prohiberi possit l. tam 15. §. 1. de donat. mort.  
caus. l. qui in potest. de Codicill. l. 2. in princ. ff. de dote  
præleg.

### X IV.

Quod tamen verum in adventiciis sive pater habeat u-  
sumfructum sive non: (a) Non in peculio castrensi vel  
quasi (b) in eo enim quia pro patrefam. habetur, testari  
potest, (c) patre etiam invito (d).

(a) l. pen. C. eod. Fach. lib. 5. cont. 94. (b) §. fin. Inst.

de test. mil. l. fin. C. de inoff. test. Nov. 123. (c) l. si quis

filius fam. §. ult. de iniust. rupt. test. & l. 2. ad Mac. d.

(d) *l. ult. h. t. §. 1. Inst. h. t. l. qui in potest. ff. de test. & l. fin. ibid. Bart. n. 2. de inoff. test.*

### X V.

2. Servus (*a*) jus civitatis nō habet, ex quo testamēta oriuntur, (*b*) sed pro mortuo (*c*) habetur, ac propterea meritò à testamento faciendo arcetur.

(a) *l. filius fam. 19. d. l. si filius fam. h. t. Inst. quibus non est permis. test. fac. §. 1. (b) l. test. h. t. arg. l. eius §. si cui ff. eod. (c) l. quod attinet & l. 209. ff. de R. Iur.*

### X V I.

3. Hoc in genere censemur capti (*a*) ab hostibus, servi enim hostium fiunt. Ut & 4 Obsides, (*b*) qui ex Christianis apud infideles sunt obsides vel contra.

(a) *§ fin. Inst. eod. non q. à latronibus l. 13. ff. eod. (b) §. ult. Inst. hic l. 8. eod. l. obsides 11. h. t.*

### X V I I.

II. Qui judicio animi carent: veluti Impubes: (*a*) Nam ut quis testandi jus habeat, inter cætera mentis integritas atque intellectus perfectio (*b*) requiritur: Pupillorum autem animi judicium nullum est (*c*).

(a) *§. Præterea Inst. de ord. test. l. à qua etate ff. eod. l. si frater C. eod. (b) l. 2. de test. l. sen. h. t. (c) d. §. Inst. eod. §. pupill. Inst. de inut. stipulat.*

### X V I I I.

2. Furiosi & mente capti: (*a*) nulla enim illis inest voluntas (*b*).

(a) *l. furios. C. qui test. fac. poss. l. filius fam. ff. de test. §. præterea Inst. quib. non est permis. fac. test. nisi testamētum per furoris intervalla cōfecerint. (b) l. furios. ff. de R. Iur.*

Furio-

7  
**X I X.**

Furiosis æquiparantur 3. prodigi (a) quibus bonorum administratio interdicta est (b) & qui nec tempus (c) nec finem habent expensarum, sed bona sua dilacerando ac dissipando profundunt.

(a) *l. furios ff. de R. I. §.it. Prod. Inst. h.t.* (b) si sci-  
licet interdictio bonorum jam facta est, alioquin o-  
mnia pro sui animi arbitratu gerere poterunt. *Dd.*  
& *Vigl. in d. §. it. prodig. n. 3. Inst. h.t.* (c) *l. I. §. I. ff.*  
*de curat furios.*

**X X.**

III. Quidam propter vitium alicuius necessarii sen-  
sus: ut surdi, muti, (a) & cæci: (b) qui nec rogare, ac-  
cire & audire testes possunt, & infantibus (c) ac absenti-  
bus æquiparantur.

(a) *l. qui in potest. §. I. l. si mutus 7. h.t. Inst. §. It. surd.*  
*h. t. qui tamen propriè muti & surdi sunt, qui o-*  
*mnia non qui tardè exaudiunt & eloquuntur d. §.*  
*It. surd. Inst. h.t.* (b) nisi observent ea, quæ haben-  
tur in *l. 8. C. qui test. fac. posſ.* (c) *l. invit. serv. §. si*  
*pupill. ff. ad SC. Tribellian.*

**X X I.**

IV. Quidam ratione poenæ: ut ad mortem damnati,  
deportati, servi poenæ, hæretici *l. 8 ff. de test.*

**X X I I.**

V. Quidam etiam ratione incerti & dubii status testa-  
mentum facere non possunt: Incertus enim de statu suo  
non testatur *l. de statu 15 ff. h.t.*

**X X I I I.**

Hactenus de causa efficiente satis superque diximus:  
Sequitur ut de subiecto videamus. Est autem testamenti

A 4

subiectum ipsa hæredis institutio totius testamenti caput atque fundamentum. §. ante hæred. Inst. delegat. l. 1. ff. de hæred. inst.

### X X I V.

Possunt autem hæredes institui omnes sive liberi sive servi, dummodo non prohibeantur l. 13. ff. ac hæred. inst. §. 1. Inst. quib. non est permis. test. fac.

### X X V.

Vti sunt i. deportati seu perpetuo banniti, (a) 2. liberi eorum qui sunt rei criminis læse maiestatis, (b) 3. Collegium illicitum seu non approbatum (c) 4. Spurii & incestuosi, (d) 5. hæretici, (e) 6. Apostatae (f).

(a) l. 1. C. eod. (b) l. quisquis §. filii C. ad l. Iul. Maiest. (c) l. Coll. C. eod. (d) C. de incest. & inut. nupt. fratrem autem fratri testamentum tanquam inoficiosum (si in eo spurium instituerit) impugnare non posse affirmare minus vereor autoritate motus l. spur. ff. de Decur. (e) l. 3. C. de Apost. l. Manich. C. de hæret. Nov. 144. (f) l. hi qui sanctam C. de apost.

### X X V I.

Institutioni adjacet exhæredatio, quæ est expressa seu tacita testatoris dispositio, qua quis ex liberis aut parentibus debita hæreditate privatur, propter insertam causam & legitimè probatam.

### X X V I I.

Quas videre licet in Nov. 115. c. 3. Auth. ex caus. C. de lib. præter.

### X X V I I I.

Sed an exhæredatio fieri possit ob alias graviores aut pares causas quam quæ in d. Nov. 115. c. 3. relatæ sunt, nō minimi dubii est. Nos ab affirmativæ parte cum Ias. & Dd. in Auth. non licet C. de liberis præterit. slabimus.

Sed

### X X I X.

Sed ut prædicta valeant, testatoris voluntas debet esse directa, ita ut persona certa vel instituatur vel ex hæredetur sub conditione honesta & possibili *Inst. tot. tit. de Inst. liber.*

### X X X.

Hæc de utraque testamenti factione: sequitur nunc ipsa testamenti forma & solemnitas, quæ non minus quam ipsa testamenti factio necessaria est. *t. t. de ord. test. Inst. ff. & supra l. 4. ff. eod.*

### X X X I.

Hæc præcipue in duobus consistit i. ut testium fiat adhibitio: & deinde ut eorum sufficiens sit numerus.

### X X X I I.

Iusti testes censentur omnes, nisi specialiter sint prohibiti. *Inst. de ord. test.*

### X X X I I I.

In hoc numero habentur mulieres, (a) impubes, (b) servus, (c) mutus, surdus, (d) furiosus, (e) prodigus, (f) hæres, (g) qui non habet testamenti factionem acti-  
yam, (i) item qui testatoris domestici. (k)

(a) *l. qui test. §. mulier 6. h. t. l. alienam 18. C. de procu-  
rat. l. 2. ff. de R. I.* (b) *§. testes Inst. eod.* (c) *d. l. qui  
test. §. mulier.* (d) *d. §. test.* (e) *d. l. 9. §. ne furios.*  
(f) *l. is cui 18. h. t. d. §. test.* (g) *§. sed neg. hæres Inst.  
eod. d. l. qui test. h. t.* (h) *§ pater Inst. eod.* (i) *l. is cui  
§. fin. l. cum lege 6. h. t. d. §. test.* (k) *§. in test. Inst. eod.*

### X X X I V.

Iustus eorum civili jure numerus est septenarius, (a)  
quem etiam de substantia testamenti esse defendo cum  
*Ias in l. error. C. de test. n. 7. l. hæred. pal. ff. de test.* ita ut te-  
stamentū valere non possit, nisi septem habcat testes (b).

A 5

(a) *Inst. hic l. 2. D. de bon. possēs.* (b) *l. si unus l. hac  
consultiss. per nuncup. C. de test.*

### X X X V.

Ita tamen ut specialiter sint rogati, (a) animo & corpore præsentes, (b) non inviti detenti (c) omnes se subscribant, (d) annulos suos vel alienos testamento adponant, (e) & uno contextu testamentum perficiatur, non interveniente actu alieno. (f)

(a) *l. 21. §. pen. hic l. 21. C. eod.* (b) *d. §. 3. Inst. hic*  
*(c) l. 20. §. ult. ff. de test.* (d) *d. §. 3.* (e) *l. 22. §. 4. ff.*  
*eed.* (f) *l. hered. pal. §. ult. ff. de test. l. cum antiqu. C.*  
*eed.*

### X X X V I.

Si sex testes præsentes fuerint cum notario, numquid sufficit ad id, ut numerus jure communi requisitus intervenisse dicatur? Resp. Minime id sufficere, quod notarius in numero testium minime computatur, nisi antea per judicem fuerit examinatus. Ita tenet Io. de Imol. & comm. Dd. in l. hered. pal. ff. de test.

### X X X V I I.

Nec tamen ab illis dissentiemus, qui tempore pestis hunc numerum minui posse adfirmant, licet l. 8. C. de test. reclamare videatur.

### X X X V I I I.

Atque hæc dicta sufficient de solenni paganorum testamento: sequitur nunc minus solenne testamentum: Tale est autem (ut exempli gratiâ dicatur) testamentum inter liberos confectum.

### X X X I X.

Minus solemnne dicitur, quod hoc casu testamentorū solemnitates possint omitti. Dd. in l. hac consultiss. §. ex imperf. C. de test.

Quæ-

## X L.

Quævis enim defuncti voluntas , quibusvis verbis vel scriptis expressa inter liberos , etiam nullis testibus præsentibus valet l. ult. C. fam. hercisc. l. hac consult. §. ex imperf. & Auth. quod sine C. de test.

## X L I.

Huiusmodi porrò testamentum valere etiam inter legitimos rescripto Principis liberos defendi poterit: (a) non autem inter naturales tantum (b).

(a) §. & quoniam varie & §. si igitur licent. Quibus mod. nat. efficiantur sui. (b) l. filium ff. qui sunt sui vel al. jur.

## X L I I.

Cæterum licet tale inter liberos testamentum nullis etiam testibus adhibitis confessum valeat: ad eius tamen revocationem septem requiruntur Auth. hoc int. lib. C. de test.

## X L I I I.

Et hæc de paganico. Sequitur militare, quod milites armatæ militiae faciunt, qui in expeditione degunt & adversus publicum hostem certamen sustinent.

## X L I V.

Hi namque testamentum facere possunt, quamvis neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solemnitatem observaverint. in princ. Inst. de mil. test. l. r. l. 26. ff. eod. l. pen. C. eod.

## X L V.

Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis vel suis degunt, minimè ad vindicandum tale privilegium juvantur.

Nec


## X L V I.

Nec tamen testamentum id in castris jure militari facit  
tum tantum valet quando in expeditione miles decedit,  
sed etsi intra annum à missione moriatur extra militiam:  
post annum namque desinit valere. §. sed hact. Inst. de test.  
mil.

## X L V I I.

Non verò idem puto de militibus togatis, Advocatis &c. Et sic cum Deo finio, cui laus sit & gloria in secula.

F I N I S.



b07

**ULB Halle**  
003 252 035



3

5b.





# Farkarte #13

B.I.G.  
Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

	Centimetres	Inches
	1	1
	2	2
	3	3
	4	4
	5	5
	6	6
	7	7
	8	8
	9	9
	10	10
	11	11
	12	12
	13	13
	14	14
	15	15
	16	16
	17	17
	18	18
	19	19
	20	20

